

...ki

Bieżanowski Stanislai: Cygnus academicus. 1647 17 Decembris.

CYGNVS ACADEMICVS,

Inter ſuauiſſimum Verbi Incarnati concentum, ad æternam felicitatem tranſlatus, & ad feralem vrnam

Clariſſimi olim & Adm. Rndi. Domini,

M. MATTHIÆ BRVZYNSKI BLOSII,

Coll: Maioris, S. Th. D. Decani S. Flor. CANCELLARII POSNANIENSIS DIGNISSIMI.

bywa y Łizadicy

Lugubri elegô


A STANISLAO BIEZANOWSKI Leopol. Art: & Philoſophiæ Baccalaureo



In Palæſtra Cynerſciana


adumbratus.

Anno Domini, 1646. Die 17. Decemb.



M. Tullius Cic: de L. Crasso Oratore. lib: 3. de Orat.

ILla tanquam Cygnea fuit, diuini hominis vox, & Oratio, quam quasi ſpectantes poſt eius interitum, veniebamus in Curiam, vt veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremum inſtitiſſet, contueremur.



E L E G I A.

QVem modò Sarmaticæ Cygnum ſtupuiſtis Athenæ
Occidit! ad ſuperos candidus iuit olor!
Credetiſnè Viri Cygnum potuiſſe perire?
Credite; ſub fato vox generoſa ſilet.
Abſtulit occaſus, quem magnum prodidit ortus,
Et tumulus laudes nunc ſapientis habet.
Audiuêre Deæ, magnus quoq; fleuit Apollo,
Antraq; Pegaſidum nil niſi planctus erant.
Aruit extincto laurus Parnaſsia Cygno,
Et creuere amnes Caſtalij lachrymis.
Non peto iam ſuaues Muſæ mea numina fontes,
Mollia nec ſolitis plectra mouere ſonis,
Dira ſed infauſtos confundant carmina queſtus,
Mæſtaq; ferali corda dolore fremant.
Verba dolor prohibet, nec ſingultantia luctus
Nectere Pierijs me ſinit orſa modis.
Vix tranſit ſine morte dies, ſine funere menſis,
Vixq; nouas referunt laſſa feretra vices.

Iam natura ſuos effæta recolligit auſus,
  Feſſaque naſcendo tempora trudit hyems.
Frigora dum gelidâ Boreas inuitat ab Arcto,
  Proh dolor en geminas luximus exequias.
Solſtitium infauſtum Senibus, noſtriſq́ Camænis,
  Vt maduit pluuiâ, ſic quoq́ funeribus.
Hic vbi Lechiadum ſedes conſurgit amæna,
  Iſtuleaſq́ue bibit Sarmata fortis aquas.
Grata vbi Tymbræo fumant altaria Vati,
  Et rapidis feruent concita plectra modis:
Lugent Pierides, & magno orbata Magiſtro
  Iam tacitos mærent pulpita muta ſonos.
Cauſa doloris amor; lachrymas expreſſit acerbas,
  Officium, & diræ triſtis imago necis.
Adſpice quiſquis ades Patriam mæſtoſq́ue penates
  Vitæ vbi principium ſumpſit & ingenij.
Vrbs eſt Sarmatiæ Septemq́ue Trionis ocellus,
  Inclyta quam Craci condidit arte manus.
Hæc olim BLOSIVM vitales miſit in auras,
  Et Cygnum hunc meruit concinuiſſe ſibi:
Hæc illum ſtudijs nutriuit Mater honeſtis,
  Hæc tenerum ornauit moribus ingenuis.

Hæc

Hæc quoq; nunc propriũ plangens in funere alum-
Erigit en Cygno posthuma busta suo. (num
Suspice Pyramidum surgentes mole colossos,
Quos labor, & solers sculpsit in ære manus.
Suspice Pyramides; sed in altâ mente repostas,
Gloria nam studij posteritatis opus.
Sic igitur Cygnus teneros exercuit annos
Sic ad Musarum creuit amicitiam.
Hæserat interea sacras ad Palladis arces
Castaliasque sibi conciliauit aquas.
Attoniti hunc stupuêre Sophi, stupuêre Poetæ,
Dum faciles cæpit fundere mentis opes.
Huncque perorantem Cygnum stupuisse fatetur
Immemor eloquij Tullius ipse sui.
Nectare namque illum dulces aluêre Camænæ
Nutricesque tulit docta Minerua manus.
Nouerat ille Elegos molles, aciemque Maronis,
Quidquid Aristophanes scripsit & Euripides.
Carmina quos celebrent fidibus Venusina canoris,
Quid genio Plautus nobilis & salibus.
Mordacesque iocos & salsa Epigrammata Marci,
Quos laniet Satyris Musa Latina suis.

Et quamcunque dedit linguis Latialibus artem
  Arpinas cunctis altior ingenijs.
Non illum magni fugiebant dicta Platonis
  Aut docti largum flumen Aristotelis.
Non quidquid dictat perplexa Academia veri,
  Porticus aut rigidum Stoica quidquid habet.
Lactea quàm currant Patauinis flumina chartis,
  Mirandâ Crispus quàm breuitate iuuet.
Nec tamen huic Cygno solis cecinisse Polonis
  Sufficit; en Italas transilit ad Charites.
Ausoniamq; petit gentem, Romamq; superbam,
  Vrbe quod in tanta clarior Orbis erat.
Hîc maturus olor iucundam reddidit artem,
  Diuinoque suum cinxit honore caput.
Hinc Doctor Theologus abit, rursusque relictam
  Grandior en Cygnus conuolat ad patriam.
Ergò iterùm suetos amplectitur ille labores,
  Et quò plùs sudat, plùs quoque dulcè canit.
Explicat antiqui numerosa volumina Mosis,
  Qui primi terras incoluêre viri.
Qui sacri Vates mundo cecinêre futura,
  Quique Palæstinis regna habuêre locis.

Terrea

Terrea quæ solitæ venerari numina gentes,
Quos Deus imperijs egit in arma suis.
Perfida quàm sæuos passa est Iudæa Tyrannos,
Quàm sæpè est meritis obruta supplicijs,
Quid referam castæ quam duxit tempora vitæ?
Constantemque viam, perpetuumque decus?
Illi ingens grauitas, illi probitasque, pudorque,
Et morum integritas duxque comesque fuit.
Atque ideo multis perfunctus honoribus, vnus
Consessu Princeps præfuit indè Patrum.
Vt mirum non sit Superis si gratior omnes
Transigerit felix & sine labe dies.
Ac spatia extremæ confecerit vsq; senectæ,
Viribus, ingenio, corpore, mente, stylo.
Decessit certè fortunatissimus ille
Cygnus, quod paucis contigit ante viris.
Posteritas tantum mirabitur optima casum,
Immensumque Dei concelebrabit opus.
Nuper enim summi pandens mysteria Christi
Non solitum grato reddidit ore melos.
Verbi Incarnati secreta profunda resoluens
Iam iàm blasphemos vicerat Hæreticos,

Aduolat

Aduolat intereà nitido ſententia cælo
  Quâ noſter terras linquere iuſſus Olor.
Cauſam fortè rogas? celſi ſcrutator Olympi
  Debuit Angelicis iungere verba choris.
Aſtra petit Cygnus, Superûmque Palatia: nempè
  Clariùs in cœlis nunc reſonare poteſt.
Ille abijt; Muſis lachrymas luctumque reliquit
  Totaque Parnaſſi gloria, fletus erit.
Nos verò tanto reddentes iuſta Parenti
  Hoc illi carmen ponimus in tumulo.
Hic BLOSIVS *ſitus eſt, cineres gaudete ſepulti,*
  Jam canit hic Cygnus nobiliore loco.





CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Cæſarij.

